

OLIVERIO CARDINALI NEAPOLITANO.
ANDREAS BRENTIVS. S.D.

¶ Egi hanc oratiunculam princeps optime non ut in-
dustriam ostēterem: que quā exigua in me sit: facile
cognosco: sed ut potius officio pietatiq; mee satisfice-
rem. Quoniam omni orationis fūco omisso: non au-
res oblectare: sed rem tantum qua de agebatur: nobis
breuiter pertractare uisum fuit: ita ut res uerba sua pe-
pererit: & non res effinxerit oratio. In hoc tamen non
dissimulabo me oratorio esse functum officio si ora-
toris est dicere ha bita semper loci: temporis: rei: per-
sonarūq; dignitatis ratione. Et quāq; orationē esse per-
spicimus tenuem inopem: & haud scriptioe magno
pere dignam tamen amicis qui non interfuerunt: ut le-
gendi inspiciundiq; copia esset: effecimus: Tuāq; pre-
sertim causa ut haberes qđ animum in te nostrum te-
staretur quodq; h.umanissimo doctissimoq; patrono
expenlum a cliente: ut meritum & debitū referretur
quem & cōsilio & re adiuuare non desistis: cum mibi
studiorum ocium suppedites ac bene uiuendi ratiōē
singulari uirtutū tuarum exemplo demonstras. Vale.

Ync.
1242

ANDREE BRENTII: IN PENTECOSTEN.

ORATIO.

QUAE maiorum nostrorum consuetudo seruetur ab antiquis quidem grecis instituta: a ueteribus autem romanis intermissa: sed a christianis emendata. illi enim pluribus diis quos uana sibi superstitione finxissent preces effundebant: nostri autem uni deo Opti. Max. Iesu christo & supplicandus esse censuerunt: & omnia debere ei referri accepta putauerunt: a quo cum omnis nostra uita salus & beatitudo perficitur: Cumque eius auspitiis incepta optimo fine concludantur maiorum instituto & more beatam mariam solita salutatione: ut felix faustum fortunatumque sit nostre orationis initium quo bene auspiciato ad finem peruenire possimus: adorabimus.

Accessi huc Pont. max. Vosque P. C. dicturus de peccatis: & spiritu sancto. Quoniam solis christianis. sicut re ipsa perspicitur concessum est spiritu festos dies celebrare. Nam qui propter antiquitatem minus christianam religionem nouerint quique eam cognitam sibi non assciuerint non spiritu: sed corpore solum deos illos suos & demones uiciorum uoluptatumque ministros ac fomites colebant. habebatur enim Mars irae belli & furoris deus. Venus intemperantiae & libidinis dea: Mercurius furti & latrocinii autor. Bacchus ebrietatis & insanie preses: Eorumque sacrificia erant comestiones: potationes cruores & omnium turpes sensuum titillationes: ita ut dum illi se pietatem colere existimarent: summopere impii uiderentur turpiter flagitioseque agendo. Iudeus ex scripto festa colit corporalem legem sequens & non spiritalem: ut ad Romanos scri



bít apostolus ísdrabel sequitur legem iusticie: ad legē
iusticie non peruenit. s. corporalem & non spiritalem.
At uero christiani quorum sapientia in omnibus se/
per excelluit non fluxis momentaneisq; rebus aut uo/
luptatibus: que diutius non permanent cito euanesūt
ac in discessu plus doloris relinquūt quam in accessu
delectationis attulerint: nō corpore inquam christia/
ni deo latiffacere putant: sed spiritu: id est integris sen/
sibus mēte pura: & animo omnibus egritudinibus ua/
cua. Spiritu namq; deum colimus honesta cogitan/
do: bene dicēdo: recte agendo: & in coelo pietatis the/
sauros q nullo fortune aut casus impetu eripi possint
reponendo: Qui tibi imprimis Pont. Max. omnibus
q; qui híc frequentes sunt: illic accumulatissimi com/
parantur & seruantur tam pie tamque sapienter hāc
celebratissimam diem obeuntibus: que cum a resurre/
ctione Seruatoris quinquagesima sit: ut greco indicatur
uerbo pentecoste: eaque spiritus sancti excellentis /
simo miraculo consecrata: non immerito eam tanto /
pere coli celebratq; oportet. Enimuero magna ī se: &
admirabilia tam ueterum quam nouorum sacramen/
torum mysteria continet: ex quibus facile & luce
meridiana clarius perspicí licet: gratiam ex lege pre/
dictam: ac legem ex gratia fuisse perfectam. Vt enim
ebreorum populo postq; ceruicibus durum seruitutis
egyptiorum iugum excusserunt: quinquagesima: & q̄
agnus imolatus erat: die: lex in monte Sinai data est:
sic quinquagesima ex qua resurrexerit die: secundum
ueri dei agni imolationem spiritus sanctus in aposto/
os reliquosq; eius fideles affectores e coelo delapsus
ē: ut nos q xpiani uiuim⁹ & sapim⁹: possemus liqdo
qñq; cognoscer ueteris iitia testamti ab euāgelicis p̄i/
cipiis nō discrepā: & alterz ab eodē spū fed⁹ pcussū a

primum fuerat initum. Cogitanti autem mihi & dili-
 genter, causas inuestiganti cur quinquagenario dierū
 numero tātus honoz taz apud Hebreos quā xpianos
 habitus fuerit: nil aliud occurrere potuit: quā quod al-
 pud grecos & latinos autores legimus id ei magna ex
 parte contingere ob septenariū numeri uim & prestā-
 tiam multis in rebus obseruatā animaduersam & pe-
 nitus cognitā qua de re mihi animus est pauca disse-
 rere: Et si a proposito aliquantū digrediemur: tamen
 que dicentur non ab re esse uidebuntur. Apud ueteres
 etenim is numerus septas uocitabatur: q̄ greco nomi-
 ne testabatur uenerationē debitā numero. Septon. n.
 augustus & uenerabile dicitur: idē numerus ab arith-
 meticiis uirgo & pallas appellatur: quia nullum ex se
 parit numerū duplicatus: qui intra denarium coartet-
 tur. quē primum līmitem constat esse numerorū: ut
 etiā tradit aristoteles. Eadem quantitas ab antiquis tū
 grecis tum Romanis quēadmodū a nostri temporis
 hominibus hebdomas appellabatur. Ad nos non at-
 tinet arithmeticoꝝ rationes referre q̄ ex impari nu-
 mero mare eodemq; patre: ex pari eodemq; matre
 appellato: siue q̄ ex q̄ncq; & duobus: que dyas primus
 numerus ab illa omnipotentia solitaria corporis intel-
 ligibilis linea defluxit: siue q̄ ex tribus consta-
 ret & quattuor: quorum alterum omnium corporum
 tres consistenter dimensiones longitudo: latitudo: &
 profunditas: Altero Cuz Pythagorei quattuor elemē-
 ta omnium rerum originem esse censerent: uanam iu-
 risurandi sibi religionem, fecerunt ne maton bimete-
 ra Psyebi paradonta tetractyn Pagan aennau Pbyse-
 os: Testor eum est a quo numerus datus ipse quater-
 nus: nostre anime eternus fons & natura perēnis: ut in-
 uersibus: qui aurei dicuntur: perspicere licet. Pretereo

illa Simonis octo profunditatē: silētiū: mentē ueritatē
sermonē: uitā hominē: cōgregationē. Taceo Marcio
nis triginta: que oīa ut a philosophicis pythagoreis
tradita naturalem quādā potius rōem & pythagoricā
supstitutionem sapiunt quā religionē: Quid illud Ver/
giliū dicā uolentis septenario numero beatos exprime
e o terq; quaterq; beati. Non incognitū ē id Hesiodi
to proton henī te ce tetras ce hebdomon hieron imar
Certe prima dies & quarta & septima sacra. Omittan
tur que a uarone cōscripta sunt in hebdomadibus: sep
timo die semen genitale cōglobari coagulariq;: septi/
ma hebdomade totū hominē in utero absolui: septi/
mo mense salubriter nasci: esse septē sapiētes: septē spe
ctacula mūdi: septē erraticas stellas: erroneas a. P. Nigi/
dio dictas: pericula uite fortunarūq; hominū que cli/
materas Chaldei appellāt grauissime cōtingere septe/
nario discrimina deniq; morboz fieri in diebus qui
dies a medicis critici nel crīsimi. i. iudiciarii uel iudī/
ciales aut decretoriū appellātur: Aeschylus ad Thebal
ait septi portas: septē bellatores uenisse duces. hec qm̄
a religiōe nostra maxime aliena & remota sunt: faci/
le silētiō p̄teribo. Proferātur igitur hebreoz exempla
& auctoritates: quibus eo maior fides adhibēda: qđ
nostra ab eisdem fontibus e qbus illorū religio mana
uit. Nepe apud eos septenarius numerus in sūmo sēp
honor & p̄cio fuit siue ex supradictis rōibus: siue ex
moysis legis institutiōe. Argumēto est sabbatū septia
dies. Ex oibus aut rōnibus: que subiici possēt nulla p/
babilior nulla uerior: nullaq; que magis rōi cōsētanea
sit q̄ qđ deus sūmus huius celestis machine opifex &
rector oibus rebus & multiformi ad uitāq; necessaria
uarietate distinctis septio die quieuit: quemadmodū
Sabbatū nomē idicat: Sabbatū. n. cessationē interptā
tur uerum huius numeri maiestas: non tam ad dies

quam ad annos accessit. Quandoquidem septio quoque anno: ut in deuteronomio legitur liberabis nexos & omne debitum quod tibi debet uicinus: remittes: Dies septenarii numeri constituunt pentecosten apud ebreos diem Theocletum. i. admodum diuinam appellatam. Anni septenarii constituti absoluit lobeum quod interpretantur absolutorium siue remissiuum de quo scriptum est in leuitico: enumerabis septem cessationes annorum: septem septies nouem & quadraginta efficiunt: annus uero qui quagesimus celebrabatur. Septimo anno ad terre quietem: hebrei agros non colebant: tantumque ex his que sponte ex terra nascebantur uiuebant: hebreos qui in seruitute erant: liberabant. Quinquagesimo autem anno: omnia que septimo & insuper hec alia fiebant: gentes in belite libertate donabantur: empta predia prioribus dominis restituebantur. Quis ignorat quam plurima huius rei testimonia sed de multis pauca colligere non incongruum fuerit esse septem spiritus sancti dona esse septem festa intra quae sabbatum Neomenia pascha: pentecoste: Scenophagia: & tubarum ac afflictionis celebrationes continentur. peccatori non septies solum: sed septuaginta septies peccanti uenia datur: Cain septies penam luit parricidii: Lamech septuagies septem: septem columnis sapientie edes sustentatur: Septies in die deus laudatur. septem ex discipulis eliguntur qui curam haberent uictus apostolorum diuinis rebus uacantium. Notum est Christum: ut Lucas memorie prodidit: ab Adama septuagesimum septimum ceteri. feruntur septem tube Iesu naue totidemque circuitus & dies & sacerdotes ex quibus hiericibus sui muri concutiuntur. Pretereo populi candelabrum habens septem lampadas: siue lucernas omitto taceo septem diebus sacerdotem perficere: leprosum sanari.

Scitis septuagesimo anno populo ex captiuitate redē
ptum. Scitis septuaginta diuine scripture interpretes
fuisse: Scitis Moysen a Deo lussum eligere septuagita
seniores ad poguli curam atq; regimen : Scitis Iesum
Christum unū & uiginti templi dei sacerdotibus qui
septenario numero constituti erant: fuisse Tāquā om
nium uirtutum lumen uicesimum secundum sacerdo
tem additum: Cur in his antiquioribus moror & lon
gius a memoria remotis: Cum idē Iesus Christus pu
ra perfectio septem panibus: quatuor hominū milia
saturarit: Ac pentecoste: huc enim ut uenirem: Iuperi
or longius quā uolui: fluxit: oratio: dies adsit quinq
gesima: que ex septenario constat. Quoniam septies
septem efficiunt nouem & quadraginta: reliqua dies
quingagesima deo eidemq; spiritui sancto dicata &
consecrata: ut illud Salomonis des partem septenario
post octonario octo futuri seculi censetur : quod deo
dari debet: sicut abs te Pōt. Max. uobisq; omnibus. P.
C. cum nouē & quadraginta dies post liberatoris &
seruatoris resurrectionem preterierint : quingagesi
ma spiritui sancto dies integerrime sanctissimeq; tri
buitur. Hec cum dicta sint: tempus iam postulat ut ad
alteram orationis partem accedamus. celebramus pē
tecosten: & spiritus sancti aduentum diem pollicitatō
nibus speiq; complemento dictam. Quod apostolis
promiserat dicens baptizabimini in spiritu sancto nō
multos post dies & sedebitis in ciuitate Ierusalem: do
nec induetis facultatem exalto. Magna sane & admi
rabilia omnique ueneratione digna hec mysteria sūt
Sī quidē corporalū operū que Iesus iter homines cō
munis salutis cā amantissime fecerat: finem hodiern⁹
dies attulit: idem inītiū que discipuli optarent: queq;
īpe uellet spiritu agendi. Quenā queso opera Iesu cor

poralia fuerūt. uirgo generatō p̄sepe fasciaz iuolucra
 āgeli⁹ gliaz extollētes: pastores accurrētes. stelle cursus
 magoz adoratō: munez oblatō. ab herode pueroz ce
 des Iesus fugiēs in egyptū: rediēs ex egypto: circūci
 sus baptizatus supno p̄batus testimoni o tentatus lapī
 datus: proditus: crucifixus: sepultus: relurgēs: ascēdēs
 Nunc uero mibi sp̄ritus res aggredienti adsit sp̄ritus
 Eāq; mibi dicendi f̄cultatem iuggerat: quā delidero
 Sin minus tantam: at certe que cum loci auctoritatī tū
 diei celebritati ac tam graui audientie cōueniat tanta ē
 autem rei magnitudo: ut nihil mibi dubitationis del
 tur: eam nunq̄ uerbis aut eloquentiā exequari posse.
 Neq; uero nego me graue & pene intolerabile dicen
 di munus suscepisse: & quod potius oratori eloquenti
 ssimo eidemq; Theologo doctissimo cōueniret quā
 mibi indiferto & eius philosophiē partis imperito.
 Postea uero q̄ mecū cogitauī et animaduerti nullo un
 quā temporis spacio quīs longissimo nec ab oratore
 quidē usū & doctrina p̄fectissimo rei amplitudinē ora
 tione explicari: nec aliquid huc afferri posse qd̄ aut tī
 bī Pont. Max. qui omniū disciplinarū genera cōplex
 us es: aut huic senatui nouū in auditū ue esset omnib; 9
 uirtutibus & scientiis ornatissimo ut eius prestantissi
 mo cōspectu: grauissimoq; cōfessu hec tecta & hī
 parietes doctrinā regionēq; redolere uideātur: ut quo
 quo me uertā: tot oratores: tot iuriscōsultos: tot philo
 phos ituear: quibus omnia cū nota usitataq; & deprō
 pta sint: mibi quoq; sicut ceteris qui hoc in loco dicūt
 ueniā dari sperauerim: si huc non docēdi causā uene
 rim: sed ea tantū pauca cōmemorādi gratiā: que quot
 tānis in huiusmodi celebritate pro xp̄ane religiōis
 cōsuetudine & sapientiā. Pōt. Max. uolq; P. C. audire
 & memoria repeteri cōsueuistis. Hodierno die sp̄ritus
 pacifitus: si latine grecū uerbū pronūciāre placeret: pa

7
raletus potius diceremus: spiritus inq̄ cōfirmator &
cōsolator accessit: ut prestaret quod sic promiserat pa
raletus spiritus sanctus: quem pater mittet: ad uos
accedet: Et si abiero: mittam eum ad uos quemad /
modum alibi lobānes id scripto reliquit. Ego rogabo
patrē meum: & aliū uobis paraletum dabit. alium .s.
qualem me mibi parem. In congenitis enim alius &
alius dicimus: ut alius petrus alius Paulus. In diuersis
uero aliud & aliud: ut aliud bos aliud equus. Sic igi /
tur missus est alius paraletus pariter simplex pariter
q̄ incōmutabile bonum & coeternum: idem cū chri
sto: qui a patre filioq̄ procedit qui cum patre filioq̄
simul adoratur. Ideoq̄ hanc beatam trinitatem unum
deum fateri oportet: Quia in his tribus personis nulla
nec potentie nec substantie nec uoluntatis: nec actio /
nis diuersitas: quemadmodum ex eius ore manauit:
quecumq̄ habet pater habet & filius habet & spiritus
sanctus. Semperq̄ in ea trinitate hec communitio fuit:
quia hoc est ibi omnia habere: quod semp̄ existere:
nulli gradus: nulle differentie: nulla tempora ibi cogi
tentur: Impii sane & detestabiles. Macedoniani sunt:
qui licet patri & filio equalitatem tribuant: tamen spi
ritum sanctum inferioris nature esse putāt: aiuntq̄ eū
actum esse uel creaturam. Que ratio eos ad hec dicen
da impulit. Quoniam spiritus sanctus aut per se subsi
stit & est substantia: aut in altero spectatur & nomina
tur accidens. Si accidens: actus id dei erit: & si actus
est: agetur potius & non aget: ac ubi actum fuerit
cessabit id enim actus est. At qui spiritus sanctus agit
determinat administrat quecumq̄ mouētis sunt & nō
motus. hoc est agentis & non actus: ergo spiritus san
ctus actus non est. Si substantia: creatura aut deus exi
stimabitur. inter hec enim nō secus ac inter par & im
par: lumen & tenebras: uitam & mortem medium nō
tur: Qd̄ si creatura: quo mō ei credemus: Sin uero

deus cur nō cū p̄re filioq; adorabiē. Cōfitebimur igit̄
 deū eē patrē & filiū & spirītū sc̄m: Eāq; trinitatē unius
 eē diuinitatis atq; nē: z unū deū eē tria z tria eē unū.
 Si enim unius nature & diuinitatis trinitas est: cōplet
 autem eam spiritus: deus igitur est. Hęc eadem cōue/
 nient in Arianos & Eunomianos: qui non modo spi/
 ritum sanctum: uerū etiā filium maledictis incessunt
 qui nobis in presentia pro mortuis habebuntur: Ani/
 me enim mors est a deo Separatio: quemadmodum
 corporis ab animo seiunctio. Sed ut strabonum oculi
 uisu quidem diuersi apparent: unum tamen dumtax
 at perspiciunt: Vtq; fluius aut uia diuisa plures ue in
 partes diuisa in unum postea coit: Sic isti omnes tam
 etsi diuersa dicere uidentur: eadem tamen dicunt: uer/
 bis discrepant: re quidem consentiunt: qui certe non
 strabones solum: sed etiam uere ceci & mortui sunt.
 Neq; uero a patre tantū: sicut nonnulli opinantur: sed
 etiam a filio procedit: primum quia filius & spiritus
 sanctus cum cōmune habeant patrem: distinguuntur
 differentiis per se nō per accidens ut homo & equus
 non albo aut nigro: sed rationali irrationaliue disting/
 uuntur. Deinde cum substantie materie ex partes di/
 stinguī nequeant nisi ordine: In diuinis autem nullus
 alius ordo sit nisi originis: due persone nō possunt ab
 una procedere nisi una procedat ab altera: Cum alias
 ordo & diuersi gradus in diuersis formis siue specie/
 bus: ostendatur: quod Plato asseruit dicēs species rerū
 esse numeros qui specie uariarentur p additamentum
 uel subtractionem unitatis. Preterea principiū spiritus
 sancti cōmune est patri & filio: quia entie unitate non
 differunt. Quicquid enim habet pater habet & filius
 Multa huiusmodi argumenta in mediū afferre pos/
 sem: que cōsulito pretereo: ne uidear uelle acta agere:
 Cum hec omnia & sapientissime inuenta: & eloquen/
 tissime disputata: & sanctissime confirmata sint ab A

thanasio Hilario: Basilio: Gregorio: Ambrosio: Au-
gustino: Hieronymo: Theophilo: Cirillo: Leone: Pro-
clo: Toma: Scoto: quoz libros quando nō mibi dubi-
um sit: abste Pont. Max. uobisq; P. C. quotidie in ma-
nus sumi assidueq; euoluū: meas partes esse duxi potū-
us silere: q̄ pauca dicere aut incompta & inornata ora-
tione doctissimas aures: elimatissime autorum lectio-
ni auditioniq; assuetas obtundere. Non igitur dicā qd
interest inter nasci & procedere: Cum uestrū cuiq; no-
tū sit: filio tantū nasci attribui: Spiritū autem Sancto
procedere q̄ ab utroq; .s. patre filioq; proficiscatur.
Non ignoratis spiritū dei & spiritū sanctū idem esse
ne diutius in illorum opinione cōfutanda morer: qui
aliud spiritum dei & aliud spiritum sanctum esse opi-
nabantur. Constat unum eundemq; spiritum sanctum
fuisse semper. Neq; Paulus alium habēs spiritum san-
ctum: illa de eo scripsit qui in prophetis ante Christi
aduentum alius fuit: sed de eo cuius & ipse particeps
erat: & omnes qui in fide consummate uirtutis fereban-
tur. Vnde cum articulo eius meminit quasi solitarium
& unicum esse testās euz dicat nom simpliciter pneu-
ma bagion idest spiritus sanctus: sed cum articuli ad-
ditamento to pneuma to bagion: hic spiritus sanctus.
Quid nunc opus est infringere ea argumenta que a
nonnullis afferuntur spiritum sanctum non esse certe
& prefinite diuine persone pprium nomen: q̄ eo ali-
as pater: alias filius: nonnunq̄ spiritus significatur. mo-
do enim cōstiterit: quod uno ferme omnium christi-
anorum consensu tenetur: quid oportet amplius am-
bigere: Spiritu cōmune quoddam totius trinitatis de-
mōstrari quo diuina substātia materiei exps indicat.
Tū uero spiritū sancto unam ex tribus definitam per-
sonam declarari. Nihil enim uetat quod latius quan-
doq; patet & liberius uagatur: id quibusdam angustis

tetminis & regionibus intra quas cōtineatur: astringi
 atq; concludi. Cum igitur hec dicta sint & a nobis de
 mōstratum fuerit: spīritum sanctum deū & non actū
 siue creaturam neq; a patre solum: sed a filio etiam p
 cedere: Cumq; oratio nostra tanq̄ incitatus equus ma
 iore & fere tota currīculi parte decursa ad finem atq;
 metam festinet: paucis cōplectar quod reliquum: qđ
 probatum: quod testatum: quod illustratum est in di
 uina natura trīs personas subsistere patrem: filiū & spī
 ritum sanctum: hosq; trīs unum deum relationibus tā
 tummodo inuicem dīstinctos. Nec quicq̄ prohibere
 circa unam eandemq; indiuiduam substantiam natu
 ram: & diuinitate: trīa esse nomina: que ueluti notē &
 characteres diuiduntur tanq̄ proprietates diuisarum
 personarū indiuisibilis substantiē. Nam huius beate trī
 nitatis & numinis immutabilis una est substantia: in
 sectilis in opere: concors in uoluntate: par in omni po
 tentia: equalis in gloria. Quoniam unus deus est: eoq;
 uno omnia gubernētur necesse est. Vt enim exercitus
 & cetera quecunq; hominum sint congregationes: ci
 to dissoluūtur & pereūt pluriū administrantiū impe
 riū nacte: quotiens enim plures imperatores aut reges
 cōstituuntur: totiens plures discordiē plura odia atq;
 dissidiā nascuntur: Vnde Homerus unum regē unum
 ductorē in exercitu esse oportet dicit: & Hippocrates
 quoq; humanū corpus si uno humore cōstaret: nūq̄
 egrotatur esse cōfirmat: Sic illa cōlestia nunq̄ tāto or
 dine tāq; cōstati & unanimi rez lege atq; uicissitudie
 regerētur: nisi essent vnū summū omnipotentēq; recto
 rem deum sortita. Quod quidem ille legum institutō
 nis initio his uerbis affirmat. Ego dominus deus tuus
 qui te ex egypto eduxi: non erunt tibi alii dii preterq̄
 ego. Rursus audi Isdrabel dñs deus tuus dñs unus est.

Et per Hesaiam prophetā. Ego enim inquit deus pri-
mum & imposterum & preter me non est deus & an-
te me non fuit neq; est alius deus neq; erit aut futurus
est: sicut in euangeliis quoq; asserit dicēs patri: hec est
eterna uita ut cognoscant te solum uerum deum. Ac-
cedit ad hec ut si in coelo numerus deorum aut mul-
tudo cogitaretur: continuo aliqd de illa numinis ma-
iestate diminueretur: Quod si fieret: cum inter plures
odia semper inuidie seditiones prelia: pugne uulnera
perspiciantur: ubi nam queso erit illa diuina perfectio
si uel bonitate: uel potestate uel sapientia: uel tempore
uel loco deniq; carebit: Sin quod magis ratio conser-
taneum uidetur: nulla in numen quantitas: nulla diffe-
rentia cadat: argumento est id unū esse & per omnia
idem atq; perfectū: q; in se bonitatem sapientiam: po-
tentiam: nullum principium: nullum finem contineat
q; deniq; sempiternum sit & omnis descriptionis ex-
pers & ut summam dicam omni ex parte perfectus
in quo spiritū inesse fateri oportet nec existimare eū
extrinsecus accedere: sicut homini composito contin-
git: in quo spiritus est foris assumptus & qui longe ab
humana substantia diuersus est: q; ex aere fit: ac per in-
spirationem respirationemue intromissus aut emissus
humanum corpus ut consistat: adiuuat. At uero sicut
dei uerbum non ex concretione efficitur neq; ex dis-
ciplina proficiscitur: neq; per uoces emittitur: neq; in
aerem spargitur soluiturue: sed per se subsistens est &
electuum & actiuum & omnipotēs. Sic spiritum dei
ne per nostri spiritus similitudinē aliquid de diuina il-
la amplitudine atq; prestantia dimittat: intelligere oportet
esse substantiam substantialem: que in se ipsa sub-

sistit et in propria natura omni materiei genere remo-
 to spectetur: & a patre filioq; pcedat: ac in uerbo quic-
 cat seq; indicet & ostēdat. Neq; uero a deo in quo in-
 est: aut a uerbo cuius comes idemq; socius est: separa-
 tur annihilatur ue aut resoluitur. Sed ad uerbi similitu-
 dinē per se subsistit: uiuit: eligit: p se mouet: agit: ubiq;
 bonum enunciat: & prebet. Semperq; uoluntati respō-
 det facultas: nullū finem nullū principium habet: Nec
 unq; patri uerbum aut uerbo spiritus defuit. Vna filii
 spiritusq; natura: una potētia: una ueritas: una uita: una
 sapientia: spiritus dei: spiritus ex deo: spiritus domini:
 spiritus patris: spiritus filii: spiritus christi: spiritus qui
 excitat Christum: spiritus uite: spiritus ueritatis. Sancti
 spiritus aduētus hymnis et laudibus celebrari potiusq;
 humanis sententiis ornari potest: q̄q; propria testimo-
 nii ueritate satis corroboratus est. Haud. n. ex his: que
 cogitamus aut loquimur argumentis: dei uerbum cō-
 stat: sed ex illis quibus illuminamur & pietas & cultus
 habetur: & ueritas predicatur. Solum dei uerbum: so-
 la sancti spiritus doctrina pietatis existit fax: diuine
 cognitionis preconium: superneq; doctrine illumina-
 tio. Quoniam igitur hec maiora sunt: q̄ ut mens no-
 stra humana capere possit: quemadmodum ex his le-
 su uerbis cognoscitur: multa habeo uobis dicere: sed
 non potestis modo illa portare: quod item probatur
 in actis apostolorum cū iudeis disputans ait spūs sc̄tūs
 locutus est per Hesaiam prophetā ad p̄es uros dicēs
 auditionē audietis & nō intelligetis. iccirco igeniū in
 becillitati sufficiat religionis meritū fides ne diuidat
 intellectus: quod distinguit auditus: neue pdamus p̄ in-
 firmitatē et tenuitatē nr̄am id quod celestis nobis sola

doctrina suppeditat: & dono tradit. Itaq; cōfugiendū
est ad euangelicam historiā: Eiq; tota fides adbibēda
Cum complerentur dies pentecostes: essentq; omnes
discipuli pariter in eodem loco: factus est repente de
coelo sonus tanq̄ aduenientis spiritus uehementis: &
repleuit totam domum ubi erant sedentes: & apparu
erunt illis dispartite lingue: tanq̄ ignis sedēs supra sin
gulos eorum & repleti sunt omnes spiritu sancto: & ce
perunt loqui uariis linguis prout spiritus sanctus da
bat eloqui illis. O inauditam dei benignitatem: O ad
mirabilem diuine nature caritatem: O beatos discipu
los quibus cōtigit tanto splendore et lucis claritate ful
gere. Quid amplius a Chr isto requiritis! Ecce qui uo
bis promissus fuerat: paracletus accessit. Vobis in ling
uis apparuit ut lingue uestre essent tube & instrumen
ta ad euangelii enuntiationem toto orbe resonantia:
Vnde & apostoli legati dei uocati appellatione auct
oritatis & dignitatis insigni. Vobis tanq̄ ignis uisus est
ut ad ueteres tenebras expellendas noue lucis fulgura
coruscarent: quo micantium splendore linguarum: &
uerbum domini lucidum & eloquium conciperetur
ignitum: cui ad creanduz intellectum consumendūq;
peccatum & efficacīa illuminandi: & uis inesset uren
di. Vobis sedens in conspectum uent: ut regum regis
omnipotentis dei solium essetis. En proprie uestre lin
gularum gētium uoces facte sunt in ecclesia ore com
munes. Vobis intabulato sedentibus refulsit: ut indica
ret non nisi ab illis conspici posse: qui mente celestia
complecterentur: terrena autem despicerent. Quam
obre pentecoste dies sacratissima in honorē spūs san
cti puri & caste nobis celebrāda est: ut igneus ille spūs
& celestis origo animos nostros purget & illuminet:
ueritatis sue luminis nitore: & diuine resplēdētis glie

fulgore. Gloria omnium deus: diuinum numen
 diuina natura principium uniuersorum deus mens:
 natura: actus: necessitas: finis: renouatio: causa causarū
 omnia continet: a nullo cōtinetur: Nunq̄ genitus: sem
 per fuit: est & erit: deus pater: deus filius: deus sp̄ritus
 sanctus: Deus omnibus reb⁹ immixtus sp̄ritus: idem
 unusq; omnipotens regum rex ipse deusq;. Deus inte
 gritas eternusq; splendor: in se ex proprie & perpetue
 prestantie uī principium & finem continens: immor
 talis q̄ nūq̄ desinit in seq; terminum recipit. Semp̄iter
 nus omnino qui ex illa celesti administratione nobis
 salutis ac bene beateq; uiuendi uiam spem rationem:
 consiliū: laudemq; prebet. Sp̄ritus deus nunq̄ cessans
 perpetuus felicitatis ac beneficiorum usus & fructus.
 Dominus: creator: opifex: illuminator: ualluz: presidi
 um: arx: cōfugiū: omnia existētia unum: & unum
 existētia omnia. omnium enim absolutio atq; perfe
 ctio unum est & in uno. Atq; enim eius rectissima gu
 bernatio non in coelo tātum uel aere cōsistit: Sed ad
 terre etiam solum atq; aquas aquarumq; profunda/
 tem: & siquid inde ulterius reperitur: accedit: uidet: ad
 ministrat. Substantia intelligibilis perpetua & inuicta
 soliditas: Cuius cognitionis nō nisi parue quedaꝫ exi
 guos ingenii nostri igniculos splēdidissime attingūt
 scintille. In medio coelo stans uniuersi habenas & tel
 monem regit: uita: anima: sp̄ritus: immortalitas: gene
 ratio: Deus pater: deus filius: deus sp̄ritus sanctus: Nō
 est illic ulla discordia: non est belli uicissitudo: omnes
 idem sentiunt: una omnium precognitio: eadem pre
 sensio: una eademq; propria & immutabilis scientia:
 una eis mens: unus sensus qui ab uno eodemque
 tribus mutua & eterna beniuolentia atque amicitia

administratur. Ex quo terrestrium coelestium que rerum harmonia constituitur. Quando quidem diuina illa uoluntate atque nutu elementa & relique partes orbis uniuersi & sibi inuicem cedunt & suum amant que que ordinem equabilitatemque seruant. Nam cum uoluntas una cum electione sit principium actionum ex quibus intellectus ad finem agit. Finis enim & bonum est id ad quod uoluntas spectat: constat dei actionem esse intellectum uoluntatemque non ex potestate aut habitu sed ex actu. quia dei actio est ipsius entia: que quidem entia est ipsius uoluntas que proficiscitur ex amore quod ut Aristoteles in metaphysica tradit: est causa omnium rerum: Cum deus se ipse amet: non quod ipse moueatur sed quod motionis principium sit atque omnium que audiuntur queque uidentur origo que ipse sibi facit. Nam dei partes omnia sunt. Si autem omnes partes omnia igitur deus. Itaque omnia faciens: se ipse facit. Nunquam cessat: quia finem non habet. Et quoniam dei proprium est semper ex eius amore benefacere: hominis autem beneficia accipere: ideo omni pietate atque officiiis: illius maiestatem colamus: ei gratias agamus: ei toto corpore atque mente dediti sumus. Hic coelum & terram & aerem & ignem & omnes animantes in usum nostrum creauit fecitque eas humano generi subiectas atque parentes: Aquas uero super quas ferebatur Augustinus quod a poetis chaos dicitur: primam materiam fuisse existimauit ex qua tot tantaque: & tam uarias rerum formas ad uictum nostrum atque cultum expressit. Hic ex Saulo. Paulum fecit. Paulus enim celsator. Saulus persecutor dicebat. Hic nos aduentu suo: & cruce a crudelissimi atque teterrimi hostis nostri cruciatibus liberauit hic: ut in fide firmi atque constantes permaneremus spiritum misit paracletum confirmatorem animarum

nostrarū: inspiratorem fidei: fundatorem pacis & cō
 cordie: doctorem sciētie: fontem caritatis ac totius no
 stre causam atq; salutis autorem. Ex hoc deniq; mens
 nostra nata & illuminata est: que ut superne cognate
 menti cōiungatur: oportet animi partem que rationa
 lis & uere diuina est: erectam & excelsam superna tan
 tum & coelestia suspicere: terrena autem & interiora:
 que sensuum sunt & cupiditatum prorsus aspernari.
 Deus prima causa et est & uocatur unus omnium queq;
 sūt: queq; uident esse: princeps & origo: idem noster
 finis: nostrum bonuz: nostra felicitas: ad quam perue
 niendi una uirtutum uia est: prudentie hec sola diuina
 nosse: & hec tanq; nihil aliud sit intueri: temperantie cu
 piditates non reprimere: sed obliuisci: fortitudinis af
 fectus & omnes animi perturbationes ignorare: non
 uincere: ut nesciat irasci: cupiat nihil: iusticie ita cum
 supera & diuina mēte sociari ut seruet perpetuum cū
 ea fedus imitādo. Verum ut nostra eodem reuertatur
 oratio unde principium sumpsit: Religio nostra me
 lior sapientiorq; est q̄ alie: q̄ summum bonum statue
 rit cognoscere deum eumq; spiritu colere: Et qui eū
 colit seq; ei applicuerit: deo adberet: sustentatur: fo
 uetur: unus fit cum deo spiritus: Deniq; semper hic &
 in coelo felix atq; beatus uiuit. Valeant igitur religio
 nis nostre aduerlarioꝝ deliramenta qui ira inflama
 tos & libidine furentes induxerūt deos: feceruntq; ut
 eoz bella: plia: pugnas: uulnera libidineq; uideremus
 Nostra autem sita est in omni prudentia: fortitudine
 iusticia temperantia fide caritate pietate pace concor
 dia doctrina & sapientia: quas uirtutes si sectabimur
 quemadmodum tu Pont. Max. Vosq; P. C. facitis: no
 bis semper spiritus paracletus aderit fauebitq;. Tum
 demum cōcedet: ut sicut hic corpore & spiritu diem

eius sacratissimam pentecosten celebramus: ita in coelesti regno ipsum simplici tantum & puro spiritu contemplantes deum: nostrum bonum nostramque beatitudinem colamus: ad quam utinam omnes perueniamus ubi beati sempiterno euo fruamur.

Ad lectorem.

Autor pauca huc ex se contulisse profitetur. Si qua autem laus est aliorum dicta colligere quod non negat Isocrates: si bene fiat: Cum nihil dicatur quod prius dictum non sit: eam sibi dari non recusat Brentius.

Acta.

XYSTO. IIII. PONT. MAX:
ORBI IVS LEGESQUE DANTE.
ANN. XII.

